

Ya
1532

7, 370

INDICULUM
 PRIVATAE QUORUNDAM DISCIPULORUM DILIGENTIAE
 DOMINIS
 INSPECTORIBUS SCHOLAE
 GRAVISSIMIS

ALIIQUE PATRONIS, FAVORIBVS ET AMICIS
 DEBITO HONORE AFFICIENDIS EXHIBET

ET
 QVAEDAM DE SUPERBIAE DAMNO
 PRAEMITTIT

M. Joannes Gabriel Beilius,
 Con-Rector Schol. Chemn.

Chemnitii, typis Staesselianis.

ultimo Decembris die A. O. S.
 MDCCXXX.

209.





* * *
armine jam mentes taxat mea Musa superbas
Et stolidi pariter fastus mala præmia dicit,
Dum Ludi quædam narro conamina docta.
Non ea quo referam Vobis mens turgida suadet,
Addo sed stimulum Musis, imitamina sperans;
Commoda MULLERI *Breviaria* multa recensent, a)
Ea! vitium dico manans ab origine mundi,
Quod ceu sava lues multorum ad pectora reptat

Et cum submissis animum certamina miscet
Ac pugnas, donec superato victor ab hoste
Ventitet & reliquis vitis habitacula pandat.
Num vero præstat comites memorare malignos.
An reticere magis, dum nomina foeda recondo?
Dicere sed præstat, prompte mala nomina dicam.
Adfunt contemptus, livor, qui proxima vexat,
Insidiæ, fraudes & cædes plena cruoris
Innocui. Vidi captantem nominis auram, b)
Hic contemnebat, quos lumina celsa videbant,
Spiritus in naso vanus callemque terebat
Sublimi gressu, frons tetrica plena minarum,
Effera grandisonas prodebant ora loquelas
Et vacuo vento vehementer corda tuebant.
Vidi, sed cæpi ritu laxare labella,
Hos dum perverfos mea cernunt lumina mores.
Perpendi fructum, perpendi præmia fastus,
Ac alium reperi nullum, quam tristia damna.
Vita superba fugat, grato quos foedere nobis
Junxit amor, fidei quos charæ vincla ligarunt,
Reddit foedifragos & nexa ligamina solvit.
Mores inflatos comitatur Numinis ira
Horrida, quæ tumidos alta de sede repellit, c)
Sede repellit eos & ad umbras trudit averni,
Noctis ubi semper regnant ergastula coeæ.
Nec cruciatus atrox cessat, dum vivere terris
Est licitum, fastus quia valde pectora torquet.
Duraque si tandem terris tormenta quiescunt,
Quando fluens vacuos in ventos vita recedit,
Numinis ad iussum post funera poena gravelcit
Et miseros misero cruciату conficit artus;
Intrant infernas fauces, Pluronia regna.
Hic tetram cernunt umbram noctemque profundam,
Inde ciet labrum longo suspiria tractu,
Vndique queis resonant fumantia regna barathri.
Adfunt Eumenides diræ Ditisque ministræ,
Queis lævæ facies, queis lurida labra veneno,
Queis est anguineo frons obvelata capillo,
Adfunt tartareum spirantes ore furorem,

Adfunt

a) *De*, M. MULLERUS, Collega fidelissimus, octodecim ejusmodi *Breviaria* successive edidit, quibus privatæ diligentie discipulorum specimina exposuit, & testis sum ipsemet, quantum emolumentum quantumque æmulationem istæ rationes excitaverint.

b) *P.S.* LXXII.

c) *L'Œ.* I. 51, 52.

Adfunt & tumidas mentes cruciatibus angunt.
 Alecto celerat vomitans ex ore voraces
 Flammæ, torva videt, quævis dum dira minatur.
 Atrox Tifiphone gaudet lacerare superbum
 Atque genis nitidis unguis infigit aduncos.
 Immanis furgit demum de sede Megæra
 Et coeprat carnes lævis agitare colubris.
 Hoc unum poterit durum lenire dolorem,
 Hocce gravem minuet luctum solamine pravo,
 Quod capiat locus hic plures hæc bella securos
 Et quod non soli sint hic plorare coacti.
 Tunc ægros gemitus alto de corde ciebunt
 Mentem, quas Numen primo produxerat alium
 Puras & lautas & cuncta labe carentes,
 Sed quas orarum superum mox nausea cepit. d)
 Nam cum, quod spectas oculis, effuxerat omne
 Ex nihilo Numen, perstabant ordine cuncta
 Puro, laudabantque suum claro ore magistrum:
 Has vero mentes puras, fulgentis alumnas
 Coeli, commaculat fastus, qui pessima suasit.
 Rectori summo posthac servire recusant
 Atque Dei laudes lingua cantare gravantur.
 Ipsas pravus amor dominandi in fœdera mulcet
 Et falso sperant vasti moderamina mundi
 Diraque nunc tentant in Numen bella movere.
 Sed ridet Numen fastum, qui ceperat illas,
 Et rabidi plane spernit discrimina belli.
 Numinis ignescunt iræ ac has ore loquelas
 Profert: infandum genus, execrabilis stemma,
 Num tu sic grates nobis vis solvere iustas?
 Siccine concelebras nostræ præconia laudis?
 Heus! posthac linquas æternæ regna salutis
 Ac infinitas intres caliginis umbras!
 Sint nunquam reditus ad Numina nostra reclusi
 Et mentes fugias clara pietate cotuscas!
 Dixerat hæc Numen; deturbanturque rebelles
 Ex superis oris turbæ Numenque relinquunt.
 Hem! quam pulchra tibi venerunt præmia fastus,
 Ut te nunc nigri capiant, stirps terra, recessus?
 Præmia num speras forsitan meliora, superbe?
 Ne speres, eadem te quondam damna manebunt.
 Quem, quæso, cepit fructum mala turba Gigantum, e)
 Celso quæ Numen coelo turbare volebat?
 Thestaliis olim in terris surrexerat atrox
 Hocce genus, circa radices montis Olympi.

- d) Peccatum angelorum fuisse superbiam, probabiliter statuunt Theologi. Vid. *HOLLATZII*
Exam. Theol. P. I. C. IV. p. 477. *KROMAYERI Theol. Pos. Pol.* P. I. Art. IV. Theol. XVI.
 p. 231. *SCHERZERI Syst. Th.* Loc. IV. §. 17. not. 7. p. 106
 e) Vid. de iis *MACROB.* Saturn. L. I. c. 20. *HESIOD.* in Theogon. v. 185. *CLAUDIAN.* Gi-
 gantomachia. Patres Eccl. putarunt quondam Gigantes fuisse ipsos malos angelos, vel
 ab eis saltem genitos, quos per *Gen. VI. 4.* intelligunt: *AUGUSTIN.* de Civ. D.
 XV. 22. ubi alii e contrario Gigantes plane negarunt. Lege multo plura, quæ *Du. M. 10.*
CHR. MEHLHORN P. I. der grunds. Erklärung der *5. Schriftl. 2.* ex Disp. Joh. Benedict.
Carpzov. Andr. Sennerti, Ioh. Fr. Rabnæi a p. 1344. ad 1365. excerptit.

Gens erat ingenti membrorum mole, lacertis
 Perquam robustis, (f) minitancia lumina habebat,
 Ingrediebatur sparsis sine lege capillis,
 Mentum vallabat propexa ad pectora barba
 Anguineisque simul plagris intrare solebat.
 Hi tollunt cristas mirum verbisque superbis
 Corpora, queis pollent, laudant sua fortia, vires
 Ac animi robur tollunt ad sidera præstans,
 Quin Numen tacito metuendum murmure spernunt
 Quæque hujus pendent nutu moderamina, taxant.
 Hæc animo volvunt, donec de pectore promit
 Enceladus voces diuturna que murmura rumpit:
 Heus terræ soboles! heus tu, Titania proles!
 Macte animis! toto spargamus nomen in orbem
 Non cum terrigenis nunc tantum bella geremus,
 Sed potius coelum poscemus ad arma Deumque,
 Æthereas arces sternemus & atria Divum
 Inclyta, neve Dei posthac fera iussa feremus.
 Qua ratione tamen res sit facienda, necesse est
 Ut bene spectemus. Titanis sanguine nati
 Hinc veniant mentisque suæ cito sensa recludent!
 Dixerat Enceladus: concurrat turba nefanda,
 Accedit Minos, Tiryus dirusque Typhocus,
 Centimanus Briareus, Japetus crudelis & Oethos,
 Porphyrion claudus, Polybotes, Gratio, Coëus,
 Trux Polyphemus iremque Thæon, Eurycehus, Aloëus,
 Hippolytus minitans, Adamastor & Agrius ingens,
 Alcyoneus, Pallas, Egæon, turbaque tora. g)
 Adiunt & Minos profert, quid pectore secum
 Senferit & querit, num Martia prendere quivis
 Arma velit? Mox tota cohors ad sidera tollit
 Clamorem celebratque statim nova gaudia plausu
 Nil nisi consilium desit, coelestia tecta
 Quo recte rigido possint evertere bello.
 Mente diu volvunt pugnas & sæpe revolvunt,
 Nec tamen inveniunt bene qua confingere possint.
 Tristantur cunctique silent ac auribus adstant
 Arrectis, donec Briareus sic ora resolvit:
 Asper curatum fugiat de pectore morsus!
 Solvite corde metum, nec detrectate labores!
 Nos montem Pelium ac Ossam imponamus Olympo, h)
 Tundere sic poterit vis nostra cacumina coeli
 Ac Numen summum sella detrudere celsa.
 Dixerat hæc Briareus: & cunctis verba placebant
 Ac exultantes nunc, cja! triumpho! canebant.
 Dux Adamastor erat, quo vix audacior ullus;
 Hic opus aggreditur durum fervore stupendo,

f) *OP.* L. V. Metam. 349. seqq. *POMAT.* Panth. Myth. p. 217. seqq. *VRG.* Æn. VI. 582-584.
HESIOD. Theogon. 149-153.

g) Varia Gigantum nomina occurrunt apud Poëtâs passim, ap. *HES.* I. c. *OP.* Met. V. 375. XV. 191.
VRG. Æn. III. 641. VI. 582. *HOR.* Lib. III. Od. IV. 54. *MARITIAL.* XIII. Ep. 78. *LUCAN.*
 C. VI. 410. *HOMER.* Iliad I. 403. Odyss. IX.

h) *VRG.* Georg. I. 280-283. *OP.* Met. I. 154. 155.

Quem scelerata cohors sequitur, quo culmen Olympi
 Monte alio condant & condunt tanta labore
 Culmina. Quo facto confcendunt ad juga montis,
 Quæ superas æquant oras. Fera turba Gigantum
 Adstat & exultat, coelum clamore replendo,
 Rectorem coeli dum læva ad proelia poscit.
 Poscenti turbæ tandem furor arma ministrat
 Horrida, nunc volitant ad limpida tecta Tonantis
 Pondera saxorum, queis coelum tundere tentant,
 Eruiturque frequens tandem radicibus hærens
 Infixis arbor, cui flammæ subdere coeprant,
 Numinis ut sedem crudelis devoret ignis.
 At cernit Nuthen gentem minus æqua parantem
 Ac ira flagrans immania fulmina prendit i)
 Et perdit genus infelix, & proelia finit,
 Agmen dirumpit, multos deturbat ab alto
 Præcipiti lapsu in terram cerebrumque profundit. k)
 Sar grave supplicium perit a Rectore Gigantum,
 Dum superimpositus capiti est mons horriſer, Ætna.
 Quosdam Tænarii capiunt sine luce recessus,
 Queis infunt planctus vigil & suspiria moesta.
 Nonne patet, Numen graviter punire superbos,
 Si contemplamur sortem Phaëthonis inquam?
 Supplice Tymbræum Patrem, cheu! voce precatur,
 Ignivomos ut equos liceat per splendida tecta
 Ducere remonem & Solis rexisse volucrem.
 Vota pater renuit, nec vult concredere currum
 Aurigæ indocili; sed tandem vota parentem
 Vincunt & Phaëthon nunc audit rector equorum.
 At minus est felix, moderari nescit habenas,
 Queis præest, validas, nec equorum nomina novit,
 Discurrunt igitur, contemnunt lora regennis
 Inque mare aurigam turbant ex æthere planum.
 O Phaëthon! Phaëthon! quid cristas tollere juvat?
 Num proprio damno tibi sic tua vota fuere?
 Heu! viram subito sic es finire coactus? l)
 Vivere tu posses, sed te mens vana sefellit
 Ac extincta jacent, quæ fastu, corda, rumbant,
 Sic certe dignas solvisti funere poenas.
 Nam Deus inflatis summo fervore resistit,
 At vilem recipit, vilem ejus gratia ditat. m)
 Hinc fugias fastum, quæ Palladis incolis arva,
 Turba, nec infano rurgescant pectora statu;
 Namque ruam æratem vexant hæc crimina crebro.
 Cur alios, quæſo, spernemus mente superba,
 Cum simus pulvis tenuis, quem dissipat aura?
 Despiciens hodie cunctos, sine viribus æger
 Cras jacet & subito Lethæis occubat umbris

i) VIRG. Georg. I. 283. Propert. L. II. El. I.

k) OVID. Met. I. 176. Æn. Virg. VI. 531. CLAUDIAN. Rapt. Proserp. I. 150 - 160. II. 150. seqq. VIRG.

l) CIC. OR. III. 25. OVID. Met. II. Fab. 1. NATAL. COM. Myth. L. VI. Cap. 1.

m) 1. PETER. V. 5. JAC. IV. 6.

Et condit nigrans tunc lumina tumba superba.
 At nostrum potius celeres veniamus Jesium
 Qui fastum fovit divino in pectore nullum.
 Hicce lubens liquit regnum coeleste thronumque
 Coelestem, liquit pariter sua scepra coruica
 Virginis ac infans miserat descendit in alvum.
 Ipse Deus, mirum! venerandus nascitur infans
 Et cum terrigenis socialia foedera jungit.
 Accedit pauper, terras qui numine complet,
 Liberet ut dira stygii nos fauce tyranni.
 Hujus sectemur mores, hunc vita sequatur
 Nostra, docet recte hic, qui sit bene vita gerenda.
 Non est Christianus, non est hic assecla Christi,
 Sed phlegethontarum multo magis incola regni est,
 Qui condit tumidum tacito sub pectore fastum.
 O fugias ergo fastum! Christiana caterva,
 Atque tuam tanto vitio ne pollue vitam!
 Sic eris in terra felix, sic noxia cedent
 Omnia, sic tandem, quum finiet Atropos annos,
 Spiritus intrabit coelestis regna salutis.

* * *

Sed nunc, Fautores, quamdam cognoscite facta
 Ludi, nec Ludum Vestro private favore!

- d. 8. Jan. A. 1740. Io. Christianus Heynius, Chemn. recitavit Carmen vernaculum de Praesantia natiuitatis Christi.
- d. 16. Jan. disputatum est, utrum Q. Fabius Maximus, magister equitum, contra voluntatem L. Papirii Curforis, ne se absente pugnaret praecipiens, occasione reperia felicissime dimicans, recte egerit nec ne? ad Entrop. Lib. II. c. 4. Resp. Gottfredo Müllero, Chemn. & Opp. Jeremia Wernero, Franckenb. Misp.
- d. 4. Febr. Fabulam I. ex Ov. Lib. IX. Metam. de mutatione Acheloi in varias figuras in versus Germ. mutatam praelegit Io. Gottlob Loescherus, Augustob. Misp.
- d. 6. Febr. disputatum est inter Jer. Wernero Resp. & G. Müllerum Opp. utrum crebrior usus herbae nicotiana levis hominis notam contrahat?
- d. 13. Febr. Indagaverunt disputando Resp. G. Müllerus & Opp. Jer. Wernerus, utrum Diogenes Cynicus ex nimia paupertatis afflictione mendicans recte fecerit? ex Diog. Laërt. Lib. VI. & Aelian. III. c. 19.
- d. 15. Febr. Fabulam II. ex Ov. Lib. IX. Met. ubi Nessi cruor dicitur mutatus in venenum in versus Germ. translata recensuit I. G. Loescherus.
- d. 5. Mart. disputarunt Resp. I. Wernerus & Oppon. G. Müllerus, utrum iustitia Dei ex lumine natura possit intelligi?
- d. 10. Mart. Fabul. III. ex Op. Met. L. IX. ubi Poëta canit Lichan in scopulum mutatum, in versus Germ. conversam praelegit I. G. Loescherus.
- d. 19. Mart. Disputantes Jer. Wernerus Resp. ac G. Müllerus Opp. sunt rimati utrum minister ecclesiae in suggestu capillamento caput regens recte faciat?
- d. 14. Mart. Herculem in Deum mutatum ab Op. L. IX. Met. Fab. IV. descriptum, versibus Germ. representavit I. G. Loescherus.
- d. 2. April. Virum Virginis recte fecerit nec ne, filiam suam, ne stuprum ab Appio Claudio pati cogeretur, occidens, disputabant I. Wernerus Resp. & Iohannes Christianus Schulzius, Chemn. Opp. ad Entrop. L. I. C. 16.

d. 21. Maji

- d. 21. Maji, *Vtrum Romani recte fecerint nec ne, Tarquinium Collatinum ob nomen Tarquinii P. R. odiosum ex urbe ejicientes, disputatum est a I. C. Schulzio Resp. & I. VVernero Opp.*
- d. 18. Jun. disputarunt I. C. Schulzius Resp. & I. VVernerus, Opp. *utrum renatis opus sit lege?*
- d. 16. Jul. I. VVernerus, Resp. & I. C. Schulzius Opp. *disquisiverunt, utrum Scriptura S. sit perspicua?*
- d. 21. Jul. *de mercatu Olympico* Or. Lat. differuit simulque Dn. Reſtori Schola Clarissima Onomastica gratulatus est Carolus Fridericus Eriſchius, Schmiedeberg. Saxo.
- d. 16. Auguſt. *de Ορνιθωνοζωολογία (Vogelſchreien)* Græcorum habuit Or. Germ. G. Müllerus,
- d. 2. Sept. Carmen gratulatorium Germ. in Regem Borussia dixit I. VVernerus.
- d. 10. Sept. Carmen vernaculum *de vitanda αὐτοχρησῖα* recitavit I. G. Loſſberns.
- d. 1. Oct. disputatum est *utrum lingua Adami fuerit perfecta?* Resp. G. Müllero, Opp. I. C. Schulzio.
- d. 4. Oct. Elegiam ultimam Ovid. ex Trist. L. V. in versus vernaculos mutarunt Christianus Eriſchius Jüngerus, Chemn. & David Gottlieb Franckius, Chemnicus.
- d. 11. Oct. Fabulam V. ex Ov. Met. L. IX. de mutatione Galanthis in mustelam versibus Germ. adornatam prælegit J. G. Loſſberns.
- d. 22. Oct. Disputaverunt I. C. Schulzius Resp. & G. Müllerus Opp. *utrum bonum morale possit esse absque malo morali?*
- d. 30. Oct. Disputarunt Christianus Gottfriedus Klimperus, Chemn. Resp. & I. C. Schulzius Opp. *utrum dies poenitentialis sollemnis sit celebranda, quam dies dominica?*
- d. 5. Nov. Johannes Gottlieb Schubertus, Chemn. Resp. & Christianus Ernestus Sonntagius, Chemn. Oppon. disputando explicati sunt *utrum homines præsent angeli?*
- d. 12. Nov. G. Müllerus, Resp. & J. C. Heynius, Opp. *de ea disputarunt inter se thesi, num male piorum cogitationes sint peccatum?*
- d. 14. Nov. I. VVernerus parentavit verbis German. Rosina, uxori desideratissima Job. Christiani Vogelsangii, civis Franckenb. honesti.
- d. 17. Nov. idem VVernerus Carmine Germ. parentavit Carolo VI. Imp. Rom. ante pauculas hebdomadas Vienna demortuo.
- d. 19. Nov. Disputatum est, *utrum pluvia, nix, veni, procella, grando, fulgura & tonitrua a Deo sint creata nec ne?* Resp. Christiano Gottfredo Krausio, Chemn. & Job. Sigismundo Lieberwirth, Kramhermersdorff, Misn.
- d. 21. Nov. I. G. Loſſberns, ex Ov. Met. L. IX, Fabulam VI. & VII, Carmine Germ. exposuit mutationemque Dryopes in arborem Loton & Jolai, senis, in juvenem cecinit.
- d. 26. Nov. Or. Lat. Ciceronis verba in Orat. pro Milone c. 23. magna vii est conscientia, ut neque timeant, qui nihil commiserint & poenam semper ante oculos servari possent qui peccaverint, explicuit & coctas nomine ad S. coenam accessuri deprecatorum publicum egit Job. Augustus Schmidius, Schletta Misn.
- d. 29. Nov. recitavit Or. Lat. C. F. Jüngerus *de veterum Romanorum licitoribus, ubi eorum originem pensitavit & officia.*
- d. 1. Dec. Carmine Germ. decantavit inopinam mortem Anne Mariae, conjugis dilectissima, Dn. Jo. Gottfredi Kiedelii, negotiatoris apud Franckenbergenſes conspicui I. VVernerus.
- d. 3. Dec. disquisiverunt I. C. Heynius Resp. & G. Müllerus Opp. *locum Judic. XVI, 28 - 31. utrum Simſon, dum columnas delubri Dagonis apud Philistæos apprehendens rotam domum evertit sequi ruitis subjecti, fuerit αὐτοχρησῖα?*

JKya 1532

x 3174722

- d. 5. Dec. I. C. Schulzius recitavit Carmen vernaculum de *inseparabilitate, seu Tagerwehlerey*.
- d. 7. Dec. Epicedium Germ. in obitum Imp. Caroli VI. contextum recitavit Traugott Plenknerus, Chemnic.
- d. 13. Dec. Carmine Germ. egit de Judicio extremo D. G. Franckius.
- d. 15. Dec. *Mortem Caroli VI. stibitem meraque bella minantem consideravit* Carmine Germ. Io. Gottl. Loefcherus.
- d. 17. Dec. disputatum est *utrum, lipanaria in Republ. sint toleranda nec ne?* Resp. I. P. Verno, Opp. I. C. Schulzio.
- d. 19. Dec. Carmine Germ. de *superstitionibus, qua in nocte sanctissima, qua natiuitatem Christi recolimus, peragi solent*, egit C. G. Klimperus.
- d. 20. Dec. G. Müllerus tres Odas priores ex L. I. Carm. Horat. ad Mecenatem, Augustum & Virgilium in totidem versus Germ. translatas memoriter recitavit.
- d. 21. Dec. Ex Op. Met. L. IX. Fabulam IIX. IX. in versus Germ. mutatam reddidit Io. Gottl. Loefcherus.
- d. 22. Dec. Or. Lat. in laudem Germaniae I. G. Schubertus, Or. pariter Lat. de Sepultura veterum Roman. I. C. Heynius & Carmen German. in natiuitatem Christi Iob. Andreas Irmischerus, Garnsd. Misnie. recitarunt.
- d. 23. Dec. Carmine Germ. *Friderici, Sceptra Borussiae iam tenentis, egregias decantavit laudes* G. Müllerus, Or. Germ. *nationem Christum praedicavit* Iob. Carolus Gottlob Neefius, Chemn. Carmine vernaculo recensuit beneficia ex natiuitate Christi in homines redundantia Adam Gottlieb Tielius, Chemnic. *Noctem, qua Christus natus est* Carmine Germ. delineavit D. G. Franckius.
- d. 30. Dec. Orat. Graeca de donis, quorum participes reddidit nos Iesus natiuitate sua egit C. F. Jfingerus, Or. Lat. vero de *Scolis veterum Romanorum*, Benjamin Lebrecht Sonntagius, Chemnic.
- d. 31. Dec. disputatum est *utrum liceat inimicis mala optare?* Resp. C. E. Sonntagius, Opp. I. C. Schulzio. Orat. Lat. de *mortuorum apud veteres combustione* dixit C. G. Kraufius.

* * *
Caetera tu pergas, Musarum concio lecta,
Pergas discendi ardore, ut sic culmina Pindi
Florescant nostri, ut laudent tua facta Patroni.



na

Ya
1532



INDICULUM
FORUNDAM DISCIPULORUM DILIGENTIAE
OMINIS
TORIBUS SCHOLAE
RAVISSIMIS

TRONIS, FAVORIBVS ET AMICIS
HONORE AFFICIENDIS EXHIBET

ET
MEDAM DE SUPERBIAE DAMNO
PRAEMITTIT

Johannes Gabriel Beilius,
Con-Rector Schol. Chemn.

Chemnitii, typis Staesselianis.

ultimo Decembris die A. O. S.
MDCCXXX.

209.

